

In iij. Nocturno, Homil.
Sæpe vos. de Comm. Virg.

DIE XXII. FEBRUAR.
S. Margaritæ de
Cortona Virginis.

Duplex. Angelopoli.
Omnia ut inter festa
pro aliquibus locis die
xxvj. Febr., sed Aña
ad Magnificat et Bene-
dictus de Communi.

DIE XXVIII. FEBR.
S. Emygdii
Episc. et Mart.
Duplex. Angelopoli.
Omnia de Comm. unius
Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beatum
Emygdium Márty-
rem tuum atque Pontifi-
cem, idolórum victória
et miraculórum glória de-
corásti : concède propí-
tius ; ut eo interveniēte
malórum spirituum frau-
des vincere et coruscáre
virtútibus mereámur. Per
Dóminum.

In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occurr.

In Quadrag. A Miléto.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Emygdus, e nobili
Francórum pro-
sápia Tréviris na-
tus, anno ætátis vigésimo

tértio, paréntibus idoló-
latris frustra obstantibus,
fidem Christi suscepit, et
constantissime professus
est. Cum tribus discipulis
Euplo, Germáno et Va-
lentíno vitam duxit : hu-
mánisspretis oblectamén-
tis, rebus divinis plénius
incumbébat, erga próxi-
mum caritátis ardóre
æstuábat; idcirco ad pro-
curándam multórum salú-
tém Romam se cóntu-
lit; hospitio excéptus in
insula Tiberis, hóspitis
filiam per quinquénium
immedicábili morbo lan-
guéntem baptismo saná-
vit.

℞. Honéstum fecit.

Lectio v.

MOX, óculis cæci co-
ram pópulo signo
crucis apértis, a multítu-
dine, eum filium Apóllis
credénte, in templum
Æsculápii rápitur. Ibi
Christi servum se profes-
sus, ejus invocatióne ma-
gnum númerum ægró-
rum nequidquam idóli
opem implorántium, va-
letúdini restituit, aras di-
ruit, Æsculápii signum
confráctum in Tiberim
projécit. Quibus rebus, et
mille trecentórum gentí-
lium, præter Æsculápii
sacerdótes, conversiõe

inde secúta, irritati Post-
húmii Titiáni præfécti
Urbis minas, Angeli mó-
nitu declinans, sanctum
Marcéllum Pontificem
ádiit, a quo Episcopus or-
dinátus, et Asculum mis-
sus est.

℞. Desidérium.

Lectio vj.

MUltis in itinere mirá-
culis ingénti multí-
túdine Christo adjúncta,
simul ac Asculum Emyg-
dius pervénit, dæmones,
e simulácris idolórum per
cuncta fana ejulátibus
éditis, peregrinum doló-
rissui causam indicárun-
t. Quem cum concitáta plebs
ad cædem quæreret, éx-
citus tumultu Polymius
civitátis præses eum ad
se vocátum multis, sed
irritis verbis, ad Jovis et
Angáriæ deæ Asculi pa-
trónæ veneratióne hor-
tátur, promíssis étiam in
præmium núptiis pró-
priæ filiæ Polysis, quam
Emygdus ad Christum
convérsam baptizávit, et
post eam mille et sexa-
ginta hómines, edúcta e
saxo per ingens mirácu-
lum aquárum cópia. His
in rábiem actus Polymius
sancto Episcopo caput
abscidit. Quo facto, trun-
cus ejus mirabiliter eré-

ctus abjectum humo pró-
prium caput attóllens
mánibus per spátium tre-
centórum pássuum ad
oratórium portávit; inde
ad templum máximum
translátum est, ubi magna
religióne Asculáni pópuli,
et concúrsu exterórum
hanc usque in diem cóli-
tur. Incidit ejus beata
mors persecutióne Dio-
cletiáni duránte.

℞. Stola jucunditátis.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii
secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. xxj. b.

IN illo témpore : Dixit
Jesus discipulis suis :
Cum audiéritis prælia et
seditiões, nolite terréri :
opórtet primum hæc fie-
ei, sed nondum statim
finis. Tunc dicébat illis :
Surget gens contra gen-
tem, et regnum advérsus
regnum. Et terrémótus
magni erunt per loca. Et
réliqua.

Homília sancti Gregórii
Papæ.

Homilia j. in Evang.

EOminus ac Redém-
ptor noster pará-
tos nos invenire
desiderans, senescéntem
mundum quæ mala se-
quántur denúntiat, ut
nos ab ejus amóre com-

péscat. Appropinquán-
tem ejus términum quan-
tæ percussiones prævé-
niant, innotéscit : ut si
Deum metúere in tran-
quillitate nólumus, saltem
vicinum ejus júdicium
vel percussiónibus attríti
timeámus. **R.** Coróna.

Lectio viij.

Hic etenim lectioni
sancti Evangelii,
quam modo vestra fra-
térnitas audívit, paulo
supérius Dóminus præ-
misit, dicens : Exsúrget
gens contra gentem, et
regnum advérsus re-
gnum : et erunt terræ-
mótus magni per loca, et
pestiléntiæ et fames. Et
quibúsdam interpósitis,
hoc, quod modo audístis,
adjúnxit : Erunt signa in
sole, et luna, et stellis, et
in terris pressúra gén-
tium præ confusióne só-
nitus maris et flúctuum.
Ex quibus profécto óm-
nibus ália jam facta cér-
nimus, ália in próximo
ventúra formidámus.

R. Hic est.**Lectio ix.**

NAM gentem contra
gentem exsúrgere,
earúmque pressúram ter-
ris insistere, plus jam in
nostris temporibus cérni-
mus, quam in codícibus

légimus. Quod terræmó-
tus urbes innúmeras
óbruat, ex áliis mundi
pártibus scitis quam fre-
quenter audívimus. Pe-
stiléntias sine cessatióne
pátimur. Signa vero in
sole, et luna, et stellis,
adhuc apérte mínime vi-
dimus : sed quia et hæc
non longe sint, ex ipsa
jam áeris immutatióne
colligimus. **T**e Deum.

DIE II. MARTII.

**S. Bartholomæi
Gutierrez Martyris.**
**Omnia de Comm. unius
Mart. præter sequentia.**

Oratio.

Præsta, quæsumus,
omnipotens Deus :
ut qui beáti Bartholomæi,
Martyris tui natalitia có-
limus, intercessióne ejus
in tui nóminis amóre ro-
borémur. Per Dóminum.

**In j. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occurr.**

**In Quadrag. Fratres :
Debitóres. de Comuni
plur. Mart.**

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bartholomæus Gu-
tierrez ex honé-
sta familia Mexi-
cána, dum Angelópoli
tirónibus Eremitárum
sancti Augustíni præerat,

ad majóra animárum lu-
cra quærénda, Japóniam
transmeávit; ubi tanta
alacritáte verbum Dei
dissemináre cœpit, ut in-
géntem paganórum mul-
títúdinem ad Christum
convérteret, e quorum
número non pauci marty-
rii corónam assecúti sunt.
Quamóbrem jussu impe-
ratóris captus, post diu-
túrnum cárcerem áliud
longum atque inauditum
supplícii genus una cum
beátis Vincéntio a sancto
António et Francisco a
Jesu Augustinianiánsi Dis-
calceátis invicta constán-
tia tolerávit. Nam ad
Ungénium montem prope
Arimam dedúcti triginta
dies æstuántis aquæ sul-
phúreæ jactu, quæ nedum
pústulas in cute excitá-
bat, verum étiam carnes
corrodébat, excrucíati
idéntidem fuére. Tandem
Nangasáquii tértio No-
nas Septémbris anni mil-
lésimi sexcentésimi trigé-
simi secúndi lento igne
consumpti sunt, et eórum
reliquiæ, ne a Christiánis
colligeréntur, in mare
demérsæ. Isti una cum
áliis Martyribus sive cœ-
nobítis sive e sæculárium
cœtu, in totum quinque
ac bis centum a Pio nono

anno millésimo octingen-
tésimo sexagésimo sépti-
mo Nonis Júlii, cum sæ-
culária Apostolorum prin-
cipum solémnia agerén-
tur, in Beatórum album
relátisunt. **R.** Honéstum.

Lectio v.

Príncipes persecúti
sunt me gratis : et
a verbis tuis trepidávit
cor meum. Bene hoc Mar-
tyr dicit, quod injúste
persecutiónum torménta
sustíneat : qui nihil rapúe-
rit, nullum violentus op-
présserit, nullius sángu-
inem fúderit, nullius to-
rum putáverit esse vio-
lándum : qui nihil légi-
bus débeat, et gravióra
latrónum sustínere cogá-
tur supplícia : qui loquá-
tur juste, et non audiá-
tur : qui loquátur plena
salútis, et impugnétur :
ut possit dicere, Cum lo-
québar illis, impugnábant
me gratis. Gratis igitur
persecutiónem pátitur,
qui impugnátur sine cri-
míne : impugnátur ut nó-
xius, cum sit in tali con-
fessióne laudábilis : im-
pugnátur quasi venéficus,
qui in nómine Dómini
gloriátur, cum pietas vir-
tutum ómnium funda-
méntum sit.

R. Desidérium.

Lectio vij.

VEre frustra impugnatur, qui apud impios et infidos impietatis accessit, cum fidei sit magister. Verum qui gratis impugnatur, fortis debet esse et constans. Quomodo ergo subtexit: Et a verbis tuis trepidavit cor meum? Trepidare infirmitatis est, timoris atque formidinis. Sed est etiam infirmitas ad salutem, est etiam timor sanctorum. Timete Dominum, omnes sancti eius: et, Beatus vir, qui timet Dominum. Qua ratione beatus? Quia in mandatis eius cupit nimis.

R. Stola iucunditatis.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. x. d.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. j. in Matth. cap. x.

Supra dixerat: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in

aure auditis, predicatē super tecta. Nunc infert, quid post predicatōnem sequatur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divisus est: unaquaque domus et infidēles et credentes habuit, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Tale quid et in Gēnesi adversus rebelles homines, qui moti fuerant de oriente, et turrem extruere festinabant, per quam coeli alta penetrarent, fecisse scribitur Deus, ut divideret linguas eorum.

R. Corōna.

Lectio viij.

Veni enim separare hominem adversus patrem suum. Hic locus prope iisdem verbis in Michæa Propheta scribitur. Et notandum, ubique de veteri testamento testimonium ponitur, utrum sensus tantum an sermo consentiat. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Qui ante præmiserat, Non veni pacem mittere, sed gladium, et dividere homines adversus patrem et matrem, nurum et socrum; ne quis pietatem religioni ante-

ferret, subjicit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Canticō legimus Canticorum: Ordinavit in me caritatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.

R. Hic est vere.

Lectio ix.

Ordo pulcherrimus: ad predicatōnem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit religioni. Aurum supra tulerat, æs de zona excusserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum: Qui recipit, inquit, vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum, qui me misit: ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur.

Te Deum laudamus.

DIE VI. MARTII.

S. Coletæ

Virginis. Duplex.

Angelopoli.

Omnia de Comm. Virginum, præter sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatam Colētam Virginem tuam cœlestibus donis cumulasti: tribue, quæsumus; ut ejus virtutes æmulantes in terris, æternis gaudiis cum ipsa perfruamur in cœlis. Qui vivis.

In j. Nocturno, Lectioes de Scriptura occurrente.

In Quadrag. De virginibus. de Comm. j. loco.

In II. Nocturno.

Lectio io.

Icardiæ civitas Corbéja diocesis Ambianensis, beatæ Colētæ natalibus ex matre sterili et sexagenaria illūstris effecta est. Hæc ab ineunte ætate coepit ardentius colere officia caritatis, ita ut quidquid habere poterat, hilariter pauperibus largiretur. Orationi assidue vacans, solitaria loca quærebat, tenerum ibi corpusculum affligens, jejuniis carnis spiritui subjiciens, catēna ferrea cilicioque numquam aut raro depositis, humi cubans, cum eam necessarius somnus occupabat. Quartumdecimum ætatis annum agens, orationi-

bus impetrávit a Dómino, ut corpus suum, quod exiguum remanébat, súbito ad justam magnitudinem excreverit, ac vultus venústas, ne forte alicui occasiõnem præberet delinquendi, in tereum colorem mutarétur. A dæmõnibus frequenter lacessita, diversisque apparitiõnibus exagitata, vulneribusque toto corpore lacerata, ab oratione tamen numquam recedebat, in qua sæpe in ecstasim rapta, Angelorum visiõne et colloquio potiebatur. **R.** Propter.

Lectio v.

Facultatibus pauperibus distributis, tertii ordinis sancti Francisci regulam professsa, novas præcedentibus austeritates superaddens, vitam plane cœlestem aggressa est, nudis semper pedibus etiam hiemis tempore incedens, et continuis jejuniis corpus suum pene conficiens. Tum se ad restaurandam monialium sanctæ Claræ pluribus in locis collapsam disciplinam, a Deo varie admõnita, destinari cognovit: cui humiliter diu reluctans, linguæ oculorumque usu depêdit, tan-

dem voluntati divinæ sese subicere coacta est. Utrõque autem sensu mox in integrum restituito, divino Spiritu afflata, apostolicæ Sedis adire præsentiam decrevit, ut a summo Pontifice prædictum opus executioni mandandi facultatem exposceret. A quo benedictiõne accepta, susceptoque prædictæ reformatiõnis mandato, in patriam rediens tantum opus alacriter inchoavit.

R. Dilexisti.**Lectio vj.**

CUM autem summo studio, tam antiquis monasteriis reformandis quam novis extruendis incumberet, ingruentes difficultates admirabili constantia superavit. Paupertatis semper studiosissima fuit, unica tunica, eaque detrita, contenta, angustissimam cellam in angulo habens nulla supellectili instructam, præter stramineum saccum, qui ei pro lectulo erat. Caritate, patientia, humilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus decorata, dono etiam prophetiæ illustris, abditæ fidei mysteria divinitus edocta ita pene-

travit, ut de his altissime dissederet. Multis tandem et maximis patratibus miraculis, morte sua ante biennium præcognita, omnibus sacramentis munita, hortatisque sororibus ad regularem disciplinam, obdormivit in Dõmino pridie Nonas Martii, anno millésimo quadringentesimo quadragésimo septimo, Gandavi in Flándria in monasterio a se ædificato, in quo sacrae ejus reliquiæ assidua fidelium veneratiõne coluntur. Eam denique Pius septimus, Pontifex maximus, nono Kalendas Júnii anno octingentesimo septimo supra millésimum, novis ritibus probatis miraculis coruscantem, solèmnis pompa Sanctorum albo recensuit.

R. Afferentur regi.

In iij. Nocturno, Homilia. Sæpe vos. **de Comuni j. loco.**

Lectio ix. de Homilia Feriæ et ejus Commem. in Laudibus.

DIE IX. MARTII.

**S. Catharinæ
Bononiensis
Virginis. Duplex.
Angelopoli.**

Omnia de Comuni Virginum, præter seq.

Oratio.

Concède nos famulos tuos, Deus, beatae Catharinæ Virginis suffragiis adjuvâri: cujus odore unguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dõminum.

In j. Nocturno, Lectiones. De virginibus. **extra Quadrag. de Scriptura occurrente.**

In II. Nocturno.**Lectio ii.**

Catharina virgo, Bononiæ nobilibus parentibus Joanne Ferrariensi ex illustri Vigriõrum familia, et Benvenuta Bononiensi orta est. Hanc beata Dei Genitrix Maria patri per visum prænuntiavit in festo Nativitatis suæ, veluti fulgentissimum solem nascituram. Quare ab incunabulis Dei benedictiõne præventa, vitæ innocentiam cum pietate perpétuo servavit. Vigésimum annum agens a matre Ferrariam perducta, in monasterio Corporis Christi religiosum sanctæ Claræ habitum sumpsit. Quo in loco ut lampas ardens ceteris splendescere, et virtutum

omnium spécimen præbere cœpit. Humilitas tanta ei inerat, ut vilióra semper et lácera indumenta cáperet, abjectióra officia exhiberet. Caritate erga omnes afficiebátur máxima. Nil vitábat, nil prætermittébat, quin fovéret omnes sublevarétque, præsertim infirmas, in quibus moniális caput sanie tabefáctum nedum contingere et má nibus abstérgere, sed et lingua língere sæpius non horruerit.

R. Propter.

Lectio v.

Tanta erga errántes affécta erat commiseratióne, ut suam ipsius animam Deum precaré tur in inférno exúri, dummodo illórum animæ ab incéndio (si fieri posset), eriperéntur. Obedientiæ virtúte sic eminébat, ut semel tentáta sese in flammam injectisset, nisi statim revocáta ab illa se eruisset. Oratióne assidua, Sponsi sui amóre flagrans, summa spíritus dulcedine potiebátur. Quare arcána córdium et secréta cœlestia sæpe ei sunt reveláta. Cui et sanctus Thomas Cantuariénsis manum deoscu-

lándam, et beátus Franciscus stigmata visénda aliquándo præbuérunt. Animam Joánnis, Episcopi Ferrariénsis, in cœlum eúntem, véluti stellam coruscántem, moniáli quæ tunc áderat, osténdit. Aliquándo in Missa, dum Sacérdos Præfatió nem perficeret, Angelórum concéntum ter Sanctuscanéntium, mira suavitáte audívit; qui si diútius, ut ipsa rétulit, perdurásset, procul dubio corpore resoluta foret. Fratrem in viam salutis redúxit. Soróris animam in cœlum eúntem vidit: multa prophético spíritus prædixit.

R. Dilexisti.

Lectio vij.

CUM autem Bononiénses, étiam fama sanctitátis ejus permóti, monastérium Bonóniæ in honórem Córpore Christi erexissent, ex Ferrariénsi monastério beáta Catharina una cum quíndecim moniálibus Bonóniam, ut illud monastérium régeret, mittitur. Quod quidem illa et virgínum número, et regulári disciplína auxit. Cumque octo et viginti annos advérsa valetúde

probáta, postrémum diem sibi imminére prævidéret, convocáti soróribus mónita salutis dedit. Sumptis deínde sacraméntis, invocáto Jesu nómine, beátam efflávit animam quinquagésimo ætátis suæ anno. Honorífice sepúlto ejus corpore, miríficus odor e sepúlcro fragráre cœpit, et illuc concurrétes plúrimi infirmi sanáti sunt. Post dies decem et octo exhumátum corpus invéntum est incorruptum, et magno odóre fragrans. Quod in ecclésiám delátum, ibi religióse asservátur integrum et multis clarum miraculis. Eam vero Clemens undécimus solénni ritu Sanctórum catálogo ascripsit.

R. Afferéntur.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xxv.

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilia sancti Basilii Episcopi.

Homilia xij. ad Baptist., circa finem.



Ide, ne quando te pœniteat malórum consiliórum, cum nulla pœnitentiæ utilitas exsistit. Refrænate virgínium exemplum. Illæ óleum in vasis non habétes, cum ipsas cóngrédi cum sponso oportébat, tunc tandem sensérunt rerum necessariárum negligétiám. Quapropter étiam fátuas Evangélium ipsas appellávit, quod tempus usus ólei in circumeúndo ac parátu consumétes, non animadvertérunt quod seipsas a sponsi hilaritate excluderent. ¶ Itaque et tu vide ne annum ex anno, et menses ex ménsibus, et diem ex die differens, et non accipiens óleum lúminis aliméntum, incidas aliquándo in diem quam non exspéctas: quando deficiet te de cétero vivéndi procésus, et consilii inópia et tribulatio immitigabilis fúerit. **R.** Hæc est.

Lectio viij.

Nemo te inánibus verbis decipiat; instabit enim tibi repentina

perniciēs, et mors ad procēllā similitudinē adērit. ¶ Vēniēt Angelus tristis abdūcens violēter, et trahens animam peccatorum vīnculis alligatam et frequēter se convertētem ad ea quæ hic sunt, lugētem sine voce, instrumento lamentationum de cetero concluso. O quam teipsum dilaniabis! O quantum ingemiscēs! frustra poenitentiam ob mala consilia agens, ubi videris hilaritatem justorum ob splendidam donorum distributionem; et tristitiam peccatorum in tenebris profundissimæ relegationis.

℞. Média nocte.

Lectio ix. de Homilia Feriæ, cujus Commemoratio in Laudibus.

Extra Quadrag. Lectio viij. incipitur ad verba: Itaque. et Lectio ix. ad: Vēniēt.

FERIA SEXTA
ANTE FESTUM S. JOSEPH.
SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Duplex majus.

Angelopoli.

Hoc Officium incidere non potest ante Dom. I. Quadrag., nisi Domin. Paschatis incidat in diem xxv. Aprilis, quo casu occurrente, legatur ex parte Verna.

Exorcismus

contra imminentem tempestatem fulgurum,
et grandinis.

PER signum ✠ crucis, de inimicis ✠ nostris, libera nos ✠ Deus noster. In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Dicitur Symbolum fidei, scilicet: Credo in Deum Patrem, etc.

Deinde Kyrie eléison.

Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℞. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit cœlum et terram.

℞. Sit nomen Domini benedictum. ℞. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℞. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.

℞. Et fugiant qui odērunt eum a facie ejus.

℞. Exsurgēte Christo, adjuva nos. ℞. Et libera nos propter nomen tuum.

℞. Dōmine, exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te vēniat.

℞. Dōminus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Oratio.

Dōmine Jesu Christe, qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt; quique flūmini Jordāni benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, et tuas sanctissimas manus, et brachia sacratissima in cruce extendisti, quibus aërem sanctificasti: obsecramus immensam pietatis, et bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, a dextris et a sinistris video aërem perturbare, dissolvere et annihilare digneris; ut alligata potestas dæmonum impie devientium deficiat et turbetur ad laudem tui sanctissimi nominis, et potentissimæ majestatis tuæ. Qui vivis et regnas

cum Deo Patre.

℞. Amen.

Postea conversus ad nubes, signet eas signo ✠ dicens: Circūdet te nubes Deus ✠ Pater. Circūdet te Deus ✠ Filius. Circūdet te Deus Spiritus ✠ sanctus. Déstruat te Deus ✠ Pater. Déstruat te Deus ✠ Filius. Déstruat te Deus Spiritus ✠ sanctus. Cōprimat te Deus ✠ Pater. Cōprimat te Deus ✠ Filius. Cōprimat te Deus Spiritus ✠ sanctus. Amen.

Obsecratio. Sanctus Matthæus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joānes Evangelista, qui Christi Evangelium per quatuor mundi partes divulgârunt, ipsi suis mēritis et precibus, hanc tempestatem a termino isto, et ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Dōmino nostro Jesu Christo obtineant effugari et depelli.

Exorcismus.

ET ego peccator, et Christi sacerdos seu minister, licet indignus, auctoritate et virtute ejusdem Dei et Dōmini nostri Jesu Christi summi Imperatoris, non mea potentia innixus et confi-

sus, vobis præcipio, immundissimi spiritus, qui has nubes seu nébulas concitatis, in virtute ejusdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi, per ✠ sanctissimam ejus Incarnationem, per sanctam Nativitatem, per Baptismum et Jejúnium ipsius, per ejus sanctissimam Crucem et Passiónem, per sanctam Resurrecciónem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum Advéntum ejus et Judicium, per mérita intemeratæ sempérque Virginis Mariæ et sanctissimi N. et per mérita omnium Sanctorum, ut exeatis ab eis, et eas dispergatis in locis silvéstribus et incultis: quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arbóribus, aut quibuscúmque rebus humanis úsibus deputatis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. Amen. Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commovétis, de quo de nube lúcida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene

compláui. ✠ Ipse vobis imperat, qui sua sacratíssima cruce, et córporis sui sanctissimi in ea extensióne aërem purgávit.

✠ Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortémque devicit et ligávit, atque æternæ gehénne mancipávit ignibus. ✠ Ipse vobis imperat, qui inférno spoliato surrêxit a mórtuis. ✠

Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies, nube susceptus virtute sua ascendit in cœlum.

Ipse vobis imperat, qui venturus est judicare vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Et postea ostendat crucem in aëra dicens: Ecce lignum sanctissimæ crucis, fúgite partes adversæ: vicit enim vos et mundum Dóminus noster Jesus Christus Filius Dei, Imperátor summus, leo de tribu Juda, radix David.

Postea aqua benedicta in modum crucis ✠ aspergat quatuor latera. Dicendæ sunt etiam Litanie; si nondum quievit tempestas, Symbolum S. Athanasii: Quicum-

que vult. **Ant.** Salve Regina, et Sub tuum præsidium, **Canticum** Benedicite omnia, cum **V.** Glória Patri, et Filio, in quolibet versu dicti **Cantici.**

Deinde.

V. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu. **℟.** Laudemus, et superexaltémus eum in sæcula.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. **℟.** Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

V. Exsúrge, Christe, adjuva nos. **℟.** Et libera nos propter nomen tuum.

V. Dómine exáudi orationem meam. **℟.** Et clamor meus ad te veniat.

V. Dóminus vobiscum. **℟.** Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis glóriam agnoscere, et in poténtia majestatis adorare unitatem: quæsumus; ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniámur adversis.

Oratio.

Prótege, Dómine, famulos tuos subsidiis pacis, et beatæ Mariæ

semper Virginis patrocinio confidentes, a cunctis hostibus et periculis redde securos.

Oratio.

ADomo tua, quæsumus, Dómine, spirituales nequitiæ repellantur, et aërearum discédant malignitas tempestatum.

Oratio.

AD te nos, Dómine, clamantes exáudi, et aëris serenitatem nobis tribue supplicántibus: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericórdia tua præveniēte, cleméntiam sentiámus.

Oratio.

LArgiri et conservare fructus terræ dignare, Dómine Deus noster: ut temporalibus gaudeámus auxiliis, et proficiámus spiritualibus incrementis. Per Christum Dóminum nostrum.

Potest dici et **Oratio** illius Sancti, in cujus honore constructa est ecclesia, et aliorum Sanctorum, in quibus plus de eorum adjutorio confidimus propter specialem devotionem nostram. Possunt dici et aliæ etiam devotæ orationes cum compunctione et cordis contritione, implorando

semper misericordiam raverit, poterunt supra-
Dei. Et si adhuc tempus dicta pluries repeti.
tempestuosum perseve-

Index alphabeticus.

Angelæ Mericiæ Virg. duplex. 21. Febr.	47*
Bartholomæi Gutierrez Mart. duplex. 2. Martii.	52*
Blasii Episc. et Mart., Patr. min. princip. Mexicanæ, duplex majus. 3. Febr.	28*
Catharinæ Bononiensis Virg. duplex. 9. Martii.	57*
Catharinæ de Ricciis Virg. duplex. 13. Febr.	35*
Coletæ Virg. duplex. 6. Martii.	55*
Eligii Conf. et Episc. Noviomensis, duplex 1. Dec.	1*
Emygdii Episc. et Mart. duplex. 28. Febr.	50*
Gelasii Mart. duplex. 14. Febr.	35*
Hilarie Mart. duplex. 31. Dec.	17*
Margaritæ de Cortona Virg. duplex. 22. Febr.	50*
Mariæ B. V. de Bethlehem, duplex majus. — Domin. III. post Epiph.	17*
— — de Guadalupe Mexic. prim. Patr. duplex j. cl. cum Oct. 12. Dec.	2*
— — Octava, duplex. 19. Dec.	14*
Philippi a Jesu Patr. princip. ac Martyr. Mexicani, dupl. j. class. cum Octava in civitat. Mexic., in diec. vero suffrag. dupl. majus. 5. Febr.	28*
— — Octava, duplex. 12. Febr.	33*
Sebastiani Valfré Conf. duplex. 30. Jan.	25*
Spineæ Coronæ SS. D. N. J. C. — Feria VI. ante Festum S. Joseph.	60*
Vulnerum Quinque D. N. J. C. duplex majus. — Feria VI. post Cineres.	35*
Lectiones iij. Nocturni in Evang. <i>Nolite arbitrari</i> , pro uno Mart. non Pont.	54*
Exorcismus contra imminetent tempestatem	60*

Concordat cum originali. — IMPRIMATUR.

Tornaci, die 5 Februarii 1901.

VICT. DUREZ, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evang. — Romæ-Tornaci.

Homiliæ nonnullæ e Brevariario et Octavario Romano collectæ.

Pro uno Martyre.

IV. ALIA HOMILIA.

Lectio sancti Evangelii
secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. x.

IN illo tempore : Dixit
Jesus discipulis suis :
Nolite arbitrari, quia pa-
cem venerim mittere in
terram : non veni pacem
mittere, sed gladium. Et
reliqua.

Homilia sancti Hilarii
Episcopi. Cap. x.

UÆ ista divisio
est? inter prima
enim legis præcê-
pta accëpimus : Honora
patrem tuum et matrem
tuam; et ipse Dóminus
ait : Pacem meam do
vobis, pacem meam relin-
quo vobis. Quid sibi vult
missus pótius gladius in
terram, et separátus a pa-
tre filius, et filia a matre, et
nurus advérsus socrum, et
hóminis doméstici ejusini-
mici? Igitur exinde públi-
ca auctóritas impietáti
proferrétur. Ubique ódia,
ubique bella, et gladius
Dómini inter patrem et
filium, et inter filiam ma-
trémque desævians.

℞. Coróna áurea.

Lectio viij.

Gladius telórum óm-
nium telum acutíssi-
mum est, in quo sit jus
potestátis, et judicij sevé-
ritas, et animadvérsio pec-
cátórum. Et hujus quidem
teli nómine novi Evangé-
lii prædicatiónem appel-
látam frequens in Pro-
phétis auctóritas est. Dei
igitur verbum nuncupá-
tum meminérimus in glá-
dio : qui gladius missus in
terram est, idest, prædi-
cátio ejus hóminum cór-
dibus infúsa. Fitque gravis
in domo una dissénsio, et
doméstica novo hómini
erunt inimica : quia ille
per verbum Dei divisus ab
illis, manére et intérior et
extérior, idest, et corpus
et ánima, in spíritus novi-
táte gaudébit.

℞. Hic est vere Martyr.

Lectio ix.

Pergit deinde eódem
præceptórum et intel-
ligéntiæ decúrsu. Nam,
posteaquam relinquenda
ómnia, quæ in sæculo ca-
ríssima sunt, imperáverat,
adjécit : Qui non accipit
crucem suam, et séquitur
me, non est me dignus :